

1440 juga, navibus qua ducturus erat laboriose discussis, in Hetruriam transmittere summa ope est aggressus. Nec Florentini in tanto motu quiescere, sed copias undique contrahere. Eugenius, qui in socium belli fuerat ascriptus, quicunque duces sub Cornetano militaverant, in Hetruriam a Lodovico Antifite, quem illis Legati nomine præesse jussérat, traducendos curarat. Ipsí vero Paulum Ursinum & Michaelem Attendulum cum multo equitatu ac vi peditum ingenti stipendio conscribunt: dant operam ad hæc, ut Troilus (quem cum ala equitum Sforcia in Picœnum miserat) his se jungeret: ut tot viribus in unum collatis non solum hosti resisteretur, sed ultiro etiam arma inferri possent. Dum Florentini hæc studio expediunt, Picininus interea, et si a Primolcorio clade non mediocri repulsus fuerat a Nicolao Pisano, qui tum Florentiæ erat, ac inde cum tyronum cohorte ad montium angustias infendas missus, haud tamen multo post, superata alpium asperitate, ad Policianum confedit. Apennini superati fama ingentem Florentinis terrorem injectit: & quo omnium opinione celerius id acciderat, eo magis ac magis animis omnium consternatis, quid in re tam subita expediret, parum ab initio constare poterat. Nocturnæ per urbem vigiliæ, & circa portas stationes dispositæ. Levavit tamen præsenti metu percussum civitatem Bosii & Troili cum lecta Sforcianorum cohorte adventus. Hoste ad Policianum sedente, duorum illustrium populorum cura Sforciam aliquandiu in alternas distraxit sententias: unde accidit ut non tam cito quam omnium fuerat expectatio, sub vernum tempus in hostem moverit: hinc Florentini urgentissimis nunciis revocare, inde Veneti retinere, orareque nemutata belli ratione, victoriam quam tanto certamine hosti pene extorsisset, iterum arripiendam relinqueret: Posse Florentinorum res, si non suis opibus, at Pontificis & aliorum sociorum facile defendi: Venetas in ipso martis theatro Gallia relictas, si ab eo proderentur, non posse. His curis distrahebatur ille, cœperatque ejus cunctatio jam vulgo esse infamis: quum Picininus, Policiano capto, in

Ca.